ma rationalis non verè crearetur, quod est hæreticum; ostendo sequelam sic, quia anima rationalis magis petit dispositiones ex parte materiæ, quam Christus in Eucharistia, minus namque vnitur corpus Christi cum accidentibus in Eucharistia, quam anima rationalis vniatur præuijs dispositionibus, & per consequens minus videtur, quod productio animæ rationalis tendat ad ens, vt ens est, quam productio Corporis Christi. quod autem creatio tendat ad ens, quatenus ens, falsũ ex est dictis supra hìc n. 49. differentia etenim, quæ inter actionem creatiuam, & aliam, quæ communiter vocatur eductiua, siuè generatiua, est quia ad hanc vltimam concurrit subiectum ad operandũ, non autem ad primam.

54 Respondeo 2. breuissimè concedendo antecedens, & nego consequentiam, quia tunc instrumentum non crearet, sed concrearet, quod non est verè creare, sed impropriè; ego autem dico quod illa creatura crearet vt causa principalis, non verò vt causa instrumentalis, cui repugnat concreatio, quando esset causa principalis, & non esset, quod inuoluit contradictionem.

55 Obijcies 7. a nihilo ad esse nulla est proportio; ergo infinita distantia; ergo causa creans debet habere virtutem infinitam; atqui virtus infinita actiua est propria ipsius Dei; ergo solus Deus creare potest.

Respondeo ex dictis patere solutionem huius argumenti supra in antecedenti subsectione 4. n. 38., vnde nihil esset hìc repetendum; quia tamen in ista infinita distantia, & virtute infinita aduersarij multum confidunt, ideo duplici responsione eorum obiectioni communissime accurro.

Respondeo 1. concedo, à nihilo ad esse nullam esse proportionem mathematicam, siuè quantitatiuam; at nego primam, & secundam sequelam maioris; non enim deberet illa creatura in creando transire quantitatem spatij, aut corporis intermedij positiuè infinitã, cũ inter esse & nõ esse nihil intercedat, hoc est nec vnum minimum quidē instans, aut indiuisibile intermediat, quamuis negari possit etiam minor, videlicet quod virtus infinita sit propria solius Dei, vt dicam cum de infinito, nam solius Dei est infinitas, quæ est independens, & suum esse est, quæ requiritur ad creandum imparticipatè, sicut creat Deus solus, vt dixi supra subsectione 4. antecedenti. n. 38. 39. 40.

Respondeo 2. retorquendo argumentum, a nihilo ad esse nulla est proportio; ergo causa secunda cum ad producendam for-